MERCURIVS BRITANNICUS.

JUDICIALIS CENSURA; Vel, CURIALIS CURA. } Febris Judicialis. Sententia navalis.

TRAGI-COMOEDIA *LUTETIÆ,*

Summo cum applausu publicè acta.

Editio Secunda; accuratissimè revisa, castigata, & Præludio perquàm faceto decorata.

Mense terribili mandatur Typis,
Quo Stygiis Judices appulere ripis.

case Y683.B728

7742

Scena *Smyrna*.

Personæ.

1. *Euthymius.* } Duo familiares amici.
2. *Theocritus.* }
3. *Heraclitus.* } Duo Philosophi.
4. *Democritus.* }
5. *Ægon.* } Coloni rurales.
6. *Althæa.* }
7. *Coriolani* flebile spectrum, amputato capite designatum.
8. *Claudius.*
9. *Cratippus.*
10. *Corticeus.*
11. *Vigetii* defuncti debile spectrum.
12. *Trivius.*
13. *Curvus Acilius.*
14. *Ioachini* defuncti formidabile spectrum.
15. *Hortensii* defuncti amiabile spectrum.
16. *Antrivii* defuncti amicabile spectrum.
17. *Damocles.* } Pænales Judices.
18. *Glicisçus Horologus.* }
19. *Chrysomitris:* }
20. *Brunduſius.* }
21. *Primachus.* } Arbitres Consistorii.
22. *Cambrensis.* }
23. *Manilius.* }
24. *Perdiccas.* }
25. *Euchrysius,* Clericus Curiæ.
26. *Roderigo.* Janitor.
27. *Arietus.* } Smyrnenses Cives.
28. *Priscilla.* }

Chorus plebeius.

Chorus consularis.

AD LECTOREM.

SI alias alii sub hoc titulo Editiones publicis typis mandaverint; mihi credite, de Sepe subolent; ista Editio unicè genuina & germana; omnis alia sordida est & surreptitia.

Præludium.

Intrat *Satyrus Palinurum* sequens.

Sat. HEûs *Palinure*, perpusille, Theatricule, paucis te volo!

Pal. Perpaucis *Satyre*; ne me detineas: moras ægrè patiar: imposita est enim nobis Provincia narrandi Prologum.

Sat. Prologum, mi parvule! Quid puero cum Prologo? Festina lentè; Esto maturè cautus. Legas, modò intelligas hunc Libellum, quem prope *Regalem Banchum* trans-*Thamisium* hoc die sparsum invenimus, priusquam Prologum te agas.

Palinurus chartam legit.

Astræa furens.

JUDICES qui emunt locos,
Malos imitantur Coquos;
Digitos si mi ùs lambant,
Circuitus quando ambiunt:

Principi ſi non affari
Concupiſcunt terræ, mari:
Conſcientiis vel gravi
Putant, eò ire *Navi*:
Buſta licet nuntiet ætas,
SCRIPTA timeant QUIETIS.
Calleat artes niſi *Sinon*,
Rector nunquam fiet *Sion*.

Pal. Quò iſta ad noſtrum navigium?

Sat. Quàm maximè ad navigii veſtri naufragium. Alia â vobis agenda eſſet Scæna, ſi juſta pœnas lueret Judicis ſententia.

Pal. Iſta nos parum tangunt; univerſus mundus exercet Hiſtrionem: quidni Hiſtrio purpuratum Judicem?

Sat. Flagellaberis verò ſi ſurgant.

Pal. Magis vereor ne flagellentur ipſi quando reſurgent. —Sed ne mihi ulterius moram facias; ultimum Tubæ ediderunt ſonitum, & Auditores expectant Prologum.

Sat. Proſpice, profice, perfice. Nos interea in hoc Periſtylio Laureolis perpulchrè obſito, liberè diſpati ando, horulam impendere ſtatuimus. "Gratior enim nobis apparuit Ambulachri arena, quàm Theatri area; Theatrum ambulachri, quàm Simulachrum Theatri: Theatri ambulachrum, quàm ambulachri Theatrum.

Prologus.

Salvete omnes lepidi Judicum *Testes*;
Purpurati Testes, aures arrigite,
Quot lites Judicum *constant sub Iudice*;
Hîc unum cernitis exulem finibus,
Hîc alium variis agitatum fluctibus;
Atra *sub* virga *alium trementem,*
Gregorii nodo *alium pendentem.*
Cardine verso volvuntur omnia,
Huc nostra spectat lacrymosa Scæna.
Sin Patriæ Patres contueri probos
Gaudeat, Consules proferemus pios,
Integræ mentis, Astræa stemmatis.
Inclytæ stirpis, speciosi Ordinis.
Hi sunt qui leges publicas statuunt,
Bonos qui nutriunt, malos qui puniunt.
Isti sunt nostræ Ephori Smyrnæ,
Terræ si filii, vindices famæ.
Sedete! Iocis miscentur lacrymæ,
Lacrymis joci, Salibus facetiæ,
Ingenii nobilis castæ delitiæ,
Hæmonii claræ portus divitiæ.
Sedete! placidus sit vobis nuncius,
Iste Mercurius *noster* Britannicus.

JUDICIALIS CENSURA;
VEL,
CURIALIS CURA.

ACTUS PRIMUS.

Euthymius.
Theocritus.

Euthym. QUò tàm præpropero pede cursum dirigis, mi *Theocrite*?

Theoc. An nescis quid in eo optimo morum ac literarum Gymnasio, instructissimo ac integerrimo eo *Primatum, Procerum, Communium,* & *Infimatum* Consistorio, hoc die agitur.

Euthym. Privata negotia nos publicis planè alienos fecerunt; narra, obsecro.

Theoc. Scito mi *Euthymie*, quod hodie de *Iudice* sub Judice lis est. Conscripti illi patres, quorum *purpuram* semel coluimus, *febri* laborant *judiciali*, pro eorum *sententiâ*, in gravamen *Subditi*, gratiam *Augusti*, perperám prolatâ.

Euthym. Eheu! In quo statu consiti sumus; quando *Iudices* coram *Iudicibus* rationem reddituri sunt de eorum actionibus in terris!

Theoc. Crede mi *Euthymie*, reddituri sunt rationem, nec evasuri laqueum; ni *candidatis* eis ac *cordatis* Consistorii *Ephoris* apprimè satisfaciunt; nec de facili satisfacere poterint: Eos enim lacrymarum ac litium languentis huius insulæ plerique dicunt originem fuisse.

Euthym. Citò pereant laqueo, si injuriam attulerint Iudiciali loco; multò melius est, quòd pereat *unus* quàm *unitas*, luxurians palmes, quàm fœcunda vitis. Quædam est crudelis indulgentia, cuius mollitie, imò mole, omnis ægrotans laborat Respublica. Hoc ego ipse semper asserui, nec minus expertum habuit florens nostra insula, malis parcere, est nocere bonis. Quinam autem isti? *Intrant Heraclitus & Democritus.*

Theoc. Si eorum dispositiones enucleatè tibi narrarem, varios gestus ab uno affectu orientes ostenderem. Duo sunt Philosophi irridentes & illacrymantes rebus in orbe gestis. Ille *Heraclitus* compatientis Scenam agit; satur est lacrymis, homines errantes non citius suspicit, quàm eorum erroribus ingemiscit; humanum enim est humanis rebus ingemiscere. Iste autem *Democritus* mundum subsannat, mundum sequentium deridet stultitiã; hoc Eulogium in superliminare domus suæ inscribens:

" Miserum me video, & rideo;
" Infelicem te video, nec invideo.

Multi autem exteriùs gaudent, qui interiùs gemunt; ab ore rident & plaudunt, qui in corde dolent & plangunt. Ista de eorum colloquiis mutuò habitis illicò calleas.

Herac. O mi *Democrite*, quid rides?

Democ. Quia tu fles; quid enim in hoc spatioso Orbis Theatro minimâ lacrymulâ dignum invenias? ubi Servi facti sunt Domini, Domini Servi; Domini capite amputato Servus exurgit; & in sellam Domini ascendit. Conjuges virorum exequias deflent, lacrymas fingunt, in eorum sepulchra desilire offerunt; priusquam tamen unus vermiculus subintravit amiculum ferale quo involvuntur, aut funebres illi flores aruerunt quibus instruuntur: novos adire thoros, nuptiales accendere tædas apprimè didicerunt. Hah, hah, hah.

Herac. Ista oculis meis lacrymas eliciunt: quæ plura mi *Democrite*?

Democ. Quæ plura interrogas? *Diogenis* tibi compara lucernam, & ludibrii spectacula undique invenies. Iste in conspectu Principis admodum clarus, fruitur deliciis, eburneis distenditur lectulis, honoribus, uti oneribus, premitur, non quærit quod minus acquirat, nihil ab eo petitur, quo non potiatur, omnes

nes conditionem ejus ſpectantes, admirantur, & feliciſſimum quò terra ſe extendere poterit, profitentur: unica interim nubecula omnes hoſce ementitios radiolos uno die, minutiſſimo imò horulæ minuto diſpulit. Princeps ſeceſſit, magni huius Herois ſomnians gloria receſſit: & iſte Atlas, qui tantas moles, montes honorum dicerem, Herculeis ſuis portavit humeris, cum ignominia diſceſſit; Hah, hah, hah. Iſte tamen Heros non citius periit, irrevocabile ſuſtinendo fatum, quàm ab iis ſuperſtitem eſſe optatur, à quibus quamdiu vixit & floruit, acerbiſſimis inimicitiis afficiebatur. Viventem quem oderunt, morientem deflerunt, & piis lacrymis redivivum optarunt: ſed Heroidum Capita citius adimenda ſunt quàm redimenda. In hoc tempore multò tutius inſipientem fuiſſe quàm ſapientem; Sapientis enim cerebrum ſecuri fit pabulum, inſipientis ſecurum. Viſne plura?

Herac. Perge, mi *Democrite*, iſtæ non gratiores tibi ſunt facetiæ, quàm nobis noſtræ erunt lachrymæ.

Democ. Plora ineptule, plora, & quò ineptiùs plores, vide, quomodo parentes plerumque parciùs vivunt, quò filios prodigos citius reddant. Imo quomodo Naturæ debitorem ſe facit parens, quò licentiùs luxuriet proles. Progredere, progredere in hanc florentiſſimam Civitatem, circumſpice, feneſtras apertiores contuearis, & ceruſſatas facies proſpicientes, fuco ad focum invitantes, omnia vænalia *Novæ Troiæ* invenies; perlepidas damulas, baſiolo crumenæ vincula ſolventes: exit parens, intret pellex. Hah, hah, hah. Alios reperies Officia dimittentes, ni amitterent. Alios, *proprios* relinquentes *nidos*, ni unà cum pullis perirent. Alios *opibus rapinæ* affluentes, miſerè exhauſtos. Alios *alienis plumis* ornatos, etiam ſuis exutos. Hic Calones & Caupones à Sportâ aut Sutrinâ exurgentes, ac ſi *Regii* eſſent *profeſſores*, pulſantes pulpita, nova depromentes dogmata audies, & doctiſſimi à plebeis tenentur Theologi. Cerdones Sacerdotes fiunt; in Cœmiteriis ſepeliri horrent, in publicis verò iis, quò defuncti licet, viatores inſtruant, ſi errent. Ne manus lavare poſſim, quin *Smectymnum* eam *Brunſieldii* effigiem in pelvi ſuſpicio. Nec in Cellariam deſcendere valeo, quin *Abelli* Statuam vividam

vividam comperio. Imo ne corrigiam solvere potero, quin *Coriaceam* eam *pattentam* in memoriam revoco, & rideo. Homines enim nunc se verè *inversas arbores* ostendunt, convexos proferendo surculos, inanes fructus. Et quò in uno contexam omnia, Stultorum plena sunt omnia; omnia *Democriti* oculis ridicula.

Herac. Infimę est conditionis de aliorum lætari incõmodis.

Democ. Rectissimè; hinc est quod me totum in cachinnum verto, quia omnia proprio laborant incommodo.

Herac. Talia interim in sua redeunt incommoda.

Democ. Et æquissimè, mi *Heraclite*; quis enim, si compos mentis fuerit, terrestrem domum non deseret, quò ad Cœlestem dominum redeat? Isti autem dementes, *Elysios campos* in terris constituunt; futura parvi pendent, quò præsentia possideant. Diruunt, ædificant, vestes tineis, structuras ventis præparant. Hamum honoris non citiùs pendentem aspiciunt, quàm avidè arripiunt: quo faucibus hærente, meritò pereunt, Nec juvenilibus ista unicè efferbuerunt annis; licet enim, ut ille testatur *Siculus*, *Iuveni senescere sit prodigium*, *Seni juvenescere ridiculum*: Incanescentes tamen hujus Insulæ senes, sepulchro appropinquantes, & eorum canitie si non sapientiam, certè authoritatem & reverentiam exhibentes, maximis delibutos esse vitiis conspiceres, ita ut de iis verissime dici potest; æquè insenescunt in *crine* ac *crimine*.

Herac. Mira canis.

Democ. Sed vera canimus de canis hisce canibus. Crines citius quàm mores mutabit lupus. Nec primos colores facilè amittet lana; nec infusos prius sapores testa.

Herac. Maxima autem spes tenet *Heraclitum*, quod nullos reperies senes in totâ hac Insulâ tam miserè, perditè imo delirantes, terrenis opibus *Elysios* amitterent *campos*.

Democ. Perge, & profice, mi lacrymabilis *Heraclite*, in dementiâ tuâ. Nonne multi sunt, obsecro *Bourbonie* illius opinionis, qui multo citius partem in *Paradiso* quàm in *Parisio* dimitteret? Hoc ipso die ista testantur *Iudices*, venerandi isti & Conscripti Patres, qui sub calculo judicii summo vitæ discrimine hodiè positi sunt.

Herac.

Herac. Eheu! *Iudices.*

Democ. Imò *Iudices.* Eò igitur conveniamus ambo? Quamplurima enim ibi audiemus, tuis affiniora lacrymis, noſtris accommodatiora gaudiis.

Herac. Perlibentèr eò pergam; ubi ſi *Iudicium* in *Abſynthium* mutatum audivero, abſynthiatos eos patres ſalſugineis deflevero rivulis, imo totum me in *Niobem* mutavero.

Democ. Age, ineptule, age. Hah, hah, hah. Totus orbis, univerſa febris; quot incolæ, tot Monopolæ. Hah, hah, hah.

Exeunt.

Theoc. Sequamur, mi *Enthymie*; ——locus eſt & pluribus umbris.

Enthym. Valde vereor, mi *Theocrite*, iſta non conceſſa erit libertas eis qui alieni ſunt Domus conſortio; membra hujus celebrioris Conſiſtorii non ſumus, ergo minus admittendi.

Theoc. Parum te hoc moveat; nemo eſt qui gravi & compoſito aſpectu, placido vultu, venuſto habitu pollet, quin admittetur. Quinam vero iſti?

Intrant Rurales, Ægon & Althæa.

Enthym. Ruſtici ſunt, ut mihi apparent; ſimpliciori eorum colloquio arrectiorem præbeamus aurem; in eorum enim palliis nil *Palladis* ſuſpicio. Circa varias præſentis Status viciſſitudines varia agent, eáque perlepidè, & eò lepidè magis quò incultè.

Ægon. Nova, plurima nova tibi impartiri poſſum, mi *Althæa.*

Althæa. Quænam illa, mi Amicule?

Ægon. Narrabo tibi ſecretum, mi Melleola. *Triennale Parliamentum* habebimus omni anno.

Althæa. Quid iſtud *Triennale*? An ſpectat ad paſcendas greges? colligendos hœdos? paſcuales tuendas limites? depellendas gregibus lues? narra, quæſo.

Ægon. O mi corculum, ſufficiat nobis, quod *Triennale* hoc *beneficium* habebimus; Quantum ad me attinet, verè fateor me penitus ignorare, an illud *Triennale* mas ſit an fœmina. Novi autem quod de eo rumore in rure ſparſo, totam noctem in publicas pyras extruendo, ſociales Cyathos propinando tranſivimus.

Alth. Apage! Illud vocabulum me graviter urit, conjux iſte meus, aliquando *Academicus*, nunc *Armentarius*, promiſit ſe omni *Triennio* benevolentiam ſuam mihi ſolviturum. Et placidè gratias egi, interim neſcivi, quomodo illud tertio unicè anno ſolvendum eſſet.

Ægon. Senio confectus eſt, quid de eo expectes? Age verò, & appropinquemus Conſiſtorii portam, hoc enim die multa, eaque magna circa noſtros agenda ſunt *Indices*.

Althæa. An paſſuri ſunt ſuſpendium?

Ægon. Neſcio certè; maximum verò iis imminet periculum; *Fibulas*, ut aiunt, *poſteriora* faciunt.

Althæa. Quò illuc properemus? Talia Colonis parum competunt negotia: nec eis noſtra quadrant ingenia.

Ægon. Eamus tamen; ſi nil audiamus, quiddam fingamus; quò rura petentes, audientium auriculis majorem ſuporem adferamus. *Exeunt Rurales.*

Theoc. Nec minor nos audiendi petat ſitis; quando omnes eò confluunt, ne texamus moram; adjungamus verò nos ipſos eorum conſortiis. Communi malo, communi auſcultandum eſt faſtidio.

Euthym. Progredere, penſo huic propoſito facilè acquievimus. *Exeunt.*

ACTUS SECUNDUS.

Reſerato oſtio, abducto Sipario, Euchriſius *Clericus Curiæ Codices profert*; Judices *nominatim accerſit*: *Indictamenta legio*; *quibus perlectis*, PRIMACHUS, CAMBRENSIS, & MANILIUS *variis vicibus, varias quæſtiones iis proponunt*; *quibus viciſſim reſpondent* Judices.

Intrat Coriolani *Spectrum, abſciſſo capite deſignatum.*

O Semper aſtet veſtris *Aſtræa* ſedibus,
Obteſtatur ILLE qui ſemel floruit,

Et

Et hiſce palmam cœpit Comitiis,
Aſt præmaturo funere periit!

Juſtitiam ſingulis impertite *Candidi*,
Suffragiis gravibus miſcendo lenia;
Parcendo Judices meliores iſti,
Quàm quos punire ſemper urget ira.
" Non ſolùm *Oleo* ſanantur vulnera,
" Vulnere crudo fundantur *Balſama*.

Vivat Rex, vigeat Conſulum gloria,
Vincat Britannia; *Coriolani* vota.

Quem nec exæſtuans ira communium,
Atra nec virga, Securis, Theatrum,
Fera nec mortis facies exanimem
Fecerunt, cernite funere vividum;
Felicem magis, morte quo miſerum,
Heroum ſuperum cœtu conſpicuum.

" Valete omnia quæ ſpectant Terram,
" Mors mihi lucrum, meta ſepulchrum. *Exit.*

Conſul. Chor. Dira ſunt iſta noſtris oſtenta ſedibus,
At piis culta monitis, quæ unâ tenenda voce, tuenda voto.
Unâ gerenda manu, regenda motu.
—Iſta ſed umbris reditura ſuis.
Pergite Officiales.

Encriſ. Heus *Roderigo*, proferantur Captivi.

Roder. Quinam ſunt primò proferendi?

Primach. Proferantur ordinatim, uti argumenta eorum tradiderunt; Ordinis ignorantia perturbat formam juſtitiæ. Primùm igitur à primis ordiamur: à Iunioribus ad Seniores progrediamur Iudices; ſicut ſingultim errarunt, ſinguli in ſuorum accerſiantur defenſionem. Multò attentiores & æquiores invenient *Iudices*, quàm ſe in *Navalem* eam agendo *cauſam* oſtenderunt.

Cler. Ianitor, deducatur *Claudius* ad pergulam. Leva

manum *Claudie*; indictatus es nomine *Claudii*, quod tu in Termino Hilarii, 1637. contra Reipub. pacem Subditi libertatem, Conscientiæ testimonium, Deum non habens ante oculos tuos, perfidè perditè & nephariè sententiam dedisti de *Navali pecuniâ* Domino Regi solvendâ, nullaque eò impellente necessitate, principi debendâ; penes quem fuit de necessitate suâ solum judicare, Dic *Claudie*, reus es an non hujus criminis de quo indictatus es?

Claud. Me in officio *claudicâsse* agnosco; parum verò temporis me ibi remansisse norunt omnes: ut rarior igitur fuit culpa in parciùs errando, tenuior sit pœna in patiendo.

Cambrens. Hoc verò in defensionem causæ tuæ parum proficit, si diutiùs enim affuisses, præfuisses imò purpuratis eis Subselliis, verisimile est, quod numerosior fuisses in vitiis; una vestrûm fuit culpa, una vos Charontis spectat cymba.

Democ. Quam lepidè, *claudicat* iste *Claudius* in officio? Heus Charon, emercare servos; ardua tibi imposita est provincia, quotidianum tibi est pensum; —in te turba ruunt turbida *Iudicum*. Hah, hah, hah.

Cler. Secede *Claudie*. Heus *Roderigo*, ad pergulam accersiatur *Cratippus*; leva manum *Cratippe*, indictatus es nomine *Cratippi*, quod tu in termino Hilarii, 1637. contra Reipub. pacem, Subditi libertatem, Conscientiæ testimonium, Deum non habens ante oculos tuos, perfidè, perditè, & nephariè sententiam dedisti de *Navali pecuniâ* Dom. Regi solvendâ, nullaque eò impellente necessitate, Principi debendâ; penes quem fuit de necessitate sua solum judicare. Dic *Cratippe*, reus es an non huius criminis de quo indictatus es?

Democ. Bovem in ore, vel craterem in gurgite habet, ne verbum proferre valet.

Manil. O *Cratippe*, ne diuturnioris silentii finem facias; tace, desine, erubesce. Nec te quicquam magis decuit, quàm tacuisse; pia verò erubescentia insueta est prævaricantibus pœna. Te obscœnis lucris semper fuisse deditum audivimus, pereas igitur laqueo, ut inhiasti lucro: corpus extenuans, quo lucrum extendas. Nulla te latuit occasio lucrandi, nulla te igitur pateat ratio pœnas evitandi. Quem enim in hoc Con-

fluvio,

fluvio, in hoc instructissimo Circo habes, qui in defensionem tuam exurgat, aut in aliquo te justitiæ alumnum asserat?

Aut unus, aut nemo. Habuisti *unum*, sed tibi dissimilem, *Hortensium* nempè, tui consortem, iisdem subselliis piè assistentem, sed conditioni tuæ dissortem; Illius enim opinio in hoc *Navali negotio, Curvo Acilio* optimè quadravit. Non *Scriptæ quietis*, nec fulmina profugi illius *Chrysomitris* respexerunt isti. Famæ odorem titulis honorem præposuerunt; quam famæ gloriam qui negligit, crudelis est. Ille igitur *Hortensius* licet mortem oppetiit, talem apud posteros memoriam reliquit, ut monumenta ex marmore, ære, ebore condita, multò citius sunt peritura, quàm ejus inter Britannos peritura est memoria.

Cratip. Non inficior me reum esse; Vestro tamen candore leniatur censura. Sin minùs, sicut una nostrûm fuit sententia, una ad *Anticyras* vehat cymba. Latius extenderem vela, sed à plura loquendo me præpedivit angina.

Democ. Nescio an Anticyram ratio illis destinet omnem. Majores nostri domum pusillam, Rempublicam esse judicarunt: Isti vero totam Rempublicam in propriam domum, imò domus scriniolum contraxerunt.

Herac. O deplorata miseri hominis miseria!

Democ. Ne lacrymulam promerenturista; Libentèr eos insanire jubeo. Ecce enim quàm merita *Cratippo irroganda* est pœna! sicut vænalem linguam habuit, loquendi facultatem tantoperè amisit, ut perægrè veniam delinquenti postulet, Hah, hah, hah.

Cler. Accersiatur *Corticeus* ad pergulam. Leva manum *Corticee*, indictatus es nomine *Corticei*, quod tu in Termino Hillarii, Anno Dom. 1637. contra Reipub. pacem, Subditi libertatem, Conscientiæ testimonium, Deum non habens ante oculos tuos, perfidè, perditè & nephariè sententiam dedisti de *Navali pecuniâ* Dom. Regi solvendâ, nullaque eò impellente necessitate, Principi debendâ, penes quem fuit de necessitate suâ solum judicare. Dic *Corticee*, reus es an non hujus criminis de quo indictatus es?

Cortic. Non reus.

Cler. Deprehensus es reus, liberet Deus.

Cambr. Quam plurima tecum sunt agenda? Satis eloquentiæ, sapientiæ verò parum habes. Nemo paratior fuit in leges dicendo, ducendo imò & instar *cerei nasi*, ad omnem modulum componendo. Quó autem ista natalis festivitas? Genii & ingenii fatalis felicitas? Initianti sine *cortice* natare, difficile; cœpisti evolare cum *Vpupa*, pubescente adhuc pennâ, testulâ capiti pendente. In *Circuitu*, præcipuè in *Ducatu Lancastriæ*, (eo tempore optimo illo ac integerrimo viro, Dom. *Farrington* vicecomitatus curam gerente) tyrannidem exercuisti; ubiq; te ostendisti fastuosum, eóq; omnibus magis exosum fecisti. Cætera enim peccata in malis operibus insidiantur ut fiant: superbia vero bonis operibus insidiatur ut pereant.

Mille virtutibus affluens propter arrogantiam felicitatem amisit. Cætera vitia Deum fugiunt, sola superbia Deo se opponit. Imò quâ audaciâ, insolentiâ imo, te explosæ hujus *sententiæ Navalis* assertorem ostentâsti, acsi ingeniorum tibi unicè concessum esset Monopolium? Quò quisque igitur pertinacior fuit in vitiis, eò gravioribus censendus est suppliciis.

Si Schisma pœnam, Hæresis mereatur gehennam.

Cortic. Attestor superos, me & victurum & moriturum in eâ opinione, si tanti tam cordati & conspicui verè Consistorii authoritati nixus non acquiescerem; Tot enim codicillos, Analecta, Statuta, Annales perlegimus, ut si narrandi detur locus, vel argumentandi concedatur aditus, ista opinio nostra optimis munienda esset fulcris.

Camb. Cede locum; locum enim in laqueum commutaturi sumus.

Democ. Mecastor! Quò profuit facundia, cum vita laqueo sit finienda?

Cler. Heus Ianitor, ubinam *Vigetius*?

Rod. Ne quenquam eo designatum nomine habemus.

Prim. Talem tamen habuimus, qui *Corticei* fratris fui opinioni facilè acquiescens, in nullo unquam ei adhæserit nisi in *Navalem* hanc proferendo *sententiam*. Se ægrotantem semper

semper finxit, si aliquando argumenta proferret. Quando autem in arenam descenderet (argumentis in plateâ feliciter perditis) nemo unquam majore brevitate offenderit. Et in hoc unicè sapientem se gessit, quod moriendo sententiam prævenit. De eo igitur verè dicendum est, quod semel *vernavit*, ab antiquâ domo processit, in quo uno laudabilis fuit, quòd patrimonium retinere magis quam augere quæsivit.

Vigetii *defuncti Spectrum debili gestu trepidans apparet & disparet.*

Democ. Multi moriendo quàm vivendo sapientiores se probant. Hah, hah, hah.

Cler.—In pace secedat ad umbras. Deducatur *Trivius* ad pergulam. Leva manum *Trivie*, Indictatus es nomine *Trivii*, quod tu in termino Paschæ, Anno Dom. 1638. contra Reipub. pacem, Subditi libertatem, Conscientiæ testimonium, Deum non habens ante oculos tuos, perfidè perditè & nephariè sententiam dedisti de *Navali pecunia* Dom. Regi solvendâ; nullaque eò impellente necessitate, Principi debendâ; penes quem fuit de necessitate sua solum judicare. Dic *Trivie*, reus es an non hujus criminis de quo indictatus es?

Manil. Quid obmutescis? an premeris?

Democ. Quamplurimas opulentas compressit viduas, quid ni prematur? Hah, hah, hah.

Triv. In defensionem mei parum in promptu habeo.

Manil. Nec unquam habiturus; tace & audi. Hic ipse est, quo nemo ditior, nemo legibus imperitior; profertur tandem in publicum, quò se nomini suo faciat Synonymam: licet enim cum Larvis parciùs est luctandum, hanc tamen colubrem effigiare, hoc prodigium hominum vivis coloribus delineare statuimus, eâque brevitate, quò minus fastidii audientibus adferamus.

Democ. Astemus, & pictum hoc *Gorgonis* caput contueamur.

Manil. Iste *Trivius*, trivialis verè *Trivius*, satur viduis, viduus gratiis: habens plus *fidei* in *arcâ*, quàm *sagacie* in *aulâ*; strenuo & sinuoso magis corpore, quàm ingenuo & ingenioso

ingenioso pectore, se prosperum ac felicem procum faciens ab aliorum thoris majorem medullam elicuit, quàm à pauperculâ eâ professionis suæ praxi unquam acceperit. Multum loquitur, parum sapit, & in voce cerebrum ponens; Oceanum verborum ne guttulâ rationis conditum proferet.

Triv. Ad capillum me descripsisti, optime *Manilie*; Inscium me prorsus Legis fateor, meque (ut cæci solent) fratrum meorum opinionibus nitentem, & eorum judiciis succumbentem, facilè acquievisse. Ad hoc igitur clamat ignorantia mea, & ei parcite; miseremini mei, cujus ipse miserebitur Deus, INNOCENTIS scilicet.

Manil. Promptiorem mihi responsionem, quàm tu aliquid in tui defensionem excudisti *Trivie*; Ignorantia excusat à *tanto*, non *à toto*. Optimum tibi propositum habuisti exemplum, *Antrivium* nempe; nunc defunctum, & in pace dormientem, qui testante calamo, sublanguens adhuc in grabato, tali acquiescere noluit opinioni. Tu autem æra non solum in *imagine*, sed in *ærugine* colens, portiunculam substantiæ paci conscientiæ præposuisti. Sicut igitur mulxisti *vidua*, te tuis mulgeat *Fiscus regius*.

Democ. Apage! mulgendus est Hircus. Insciti æ suæ pœnas luet iste *Ignoramus*. Quæ multi congesserunt anni, una dies ademerit; tot conjugum fortunas *Fiscus* hausit *regius*, Hah, hah, hah.

Herac. Nunquam prosperè succeduut res humanæ, ubi negliguntur divinæ.

Cler. Secedat *Trivius*, arctiore detineatur vinculo ne evadat; & clausam retine manum *Roderigo*, ni surreptitiâ mercè libertatem acquirat.

Prim. Quantum ad te spectat, vir Spectatissime, *Curru Acilie*, constantia & integritas tua te patrem patriæ, Sidus Curiæ, generosum germen iustitiæ, radio solis descripserunt; perennemq; apud posteros memoriam, nullius temporis exitu, nullâ sequentis ævi oblivione exarandam reliquit. Edentem enim livorem, facilè vicisti, & in hac confectâ, peractâ imò ætate tuâ, in penetralibus viventium erexisti Statuam, Cui nullum superesse poterit gratius Eulogium, quàm

MEMORIA

MEMORIAE CURVI ACILII SACRUM.

Democ. O quantum distulit *Trivius* ab isto *Acilio*? Iste ut leges apprimè scivit, ritè dispensavit; ille verò nec dispensavit nec scivit.

Herac. In hac supinâ & torpente ætate, sicut gramen in puteolis, vitia ex eorum inertiâ succrescere solent; unde expertum habuimus, omne malum incurabilius esse in sene quam in juvene.

Democ. Si æquiore tamen indagine horas emeterentur suas, quantò senes sunt morti viciniores, tantò debent esse puriores. Nunc verò talis est corruptela morum, ut homines nunquam magis terram colunt, quàm cum exituri; nunquam minus Cœlum spectant, quàm cum eò, si bene vixissent, perrecturi. —Tene latera, ni ex nimio solvantur risu. Senescunt juvenes, juvenescunt senes, Hah, hah, hah.

Cler. Exeratur *Ioachimus*.

Rod. Exivit de proprio carcere, priusquam nostræ traditus fuit custodiæ.

Camb. Defunctus est. Et morti multa debuit, licet enim *Delphicum* se *Iuridicum* commonstravit; in argumenta sua callidè, vafrè, & implicitè texendo: & *Tytidem* se plenè gessit; qui huc & illuc fluctuans, an *Achilli*, vel *Hectori* sese adjungeret, levitèr hæsit, editâ attestans voce, *Quem fugiam scio, quem sequar nescio*, Eò tamen severiore mulctandus erat pœna, quò ad palpandam veritatem major illius fuit solertia.

Joachini *defuncti Spectrum formidabili motu fluctuans, apparet & disparet.*

Democ. Sed eum de manibus vestris eripuerunt manes, & præmaturam mortem opportunè moriendo sustulit.

Cler. Proferatur *Hortensius*.

Rod. Iste nunquam custodiæ nostræ traditus fuit.

Manil. Verum dicis, *Roderigo*, tam integer vitæ suæ custos fuit, ut liberum se vivens & moriens gessit; perpetuis igitur elegiis viri tam probi, & sinceri memoria deflenda est. *Honesti* enim *Iudicis*, & *Alumni pauperis* nomen merito adeptus est. In quo ma-

Hortensii *defuncti spectrum amabili vultu rutilans, apparet & disparet.*

gis gloriandum fuit titulo, quàm totius orbis imperio.

Invidiam virtute vicit, — & honorem funere nactus.

Herac. Quàm piis arbitriis bonorum signanda sunt Sepulchra!

Democ. Hinc ea originem traxerunt adagia; *Nemo malus qui non stultus*; *Nemo malus felix. Nemo sapiens peregrinatur*; *Stultus solus exulat.*

Herac. Verè ille, mi *Democrite*, peregrinatur, qui sese non fruitur.

Manil. Secedat, & exemplum præbeat.

Cler. Evocetur *Antrivius.*

Rod. Diutiùs evocatus fuit.

Cler. Ubinam apparuit?

Rod. Eò quò appulit. E manibus & manicis nostris longisper fuit emancipatus.

Antrivii *defuncti Spectrum amicabili aspectu ambiens, apparet & disparet.*

Prim. Quo jure? quo privilegio?

Rod. A mandato cujusdam *Herois*, morosi admodum & imperiosi; in portam enim carceris postquam pauliſper præstolatus esset, se intraturum, vel ostium compagibus inversurum jurabat: tam torvo & terribili erat aspectu, ut metu perculsus ei viam dedi; ut verò captivum tradidi, illicò à crine eum sustipiens, disparuit.

Camb. Inevitabili fato nullius est reluctari. Vir autem ille si ad ista usque supervixisset tempora, tàm approbatæ fuisset in hac disceptatione opinionis, ut immunis evasisset, & confectæ ætati suæ tàm felicitèr transactæ Colophonem attulisset. Dormiat in pace, ut efflоruit in luce: & eò pulchriùs efflоruit in luce, quò minùs efferbuit in lite.

Democ. De mortuis nil nisi bonum; sin corpore minus ægrotasset, in mente forsitan minus convaluisset.

Herac. Verè dicis, mi *Democrite*; Ægritudo enim corpus vulnerat, sed mentem sanat.

Democ. Quàm insani interim sunt isti, qui vegeto præstantes corpore, insaniunt mente?

Cler. Janitor, deducatur *Damocles* ad pergulam. Leva manum *Damocles*, indictatus es nomine *Damoclis*, quod tu in termino Trinitatis, 1638. contra Reipub. pacem, Subditi libertatem,

libertatem, Conſcientiæ teſtimonium, Deum non habens ante oculos tuos, perfidè, perditè & nepharie ſententiam dediſti de *Nevali pecunia*, Dom. Regi ſolvendâ, nullaque eò impellente neceſſitate, Principi debendâ, penes quem fuit de neceſſitate ſuâ ſolum judicare. Dic *Damocles*, reus es an non hujus criminis de quo indictatus es?

Dam. Neque me prorſus reum, nec innocentem fateor. Argumenta mea ſi quis adamuſſim perlegerit, me opinioni fratrum meorum maximè diſſentientem reperiet. Non aperté enim talem Principi deberi Cenſum aſſerui; quò igitur moderatior noſtra fuit ſententia, eò magis lenienda eſt veſtra cenſura. Noſtra quibuſdam circumſtantiis præcincta, imo præſtricta erant argumenta; veſtrum ſit igitur (Spectatiſſimi viri) ætati noſtræ indulgere, rude diutius donatæ, nunc ſenio & curis miſere confectæ.

Prim. O *Damocles*, non ita evadas; nec tamen ſine piis lacrymis deplorata tua ſpectanda eſt conditio: In rebus enim forenſibus, optimam adeptus es famam. Bovem in ore nunquam habuiſti; Clientuli cauſam, modò integram & probitatis fulcris innixam, ſtrenuè & ſtudiosè egiſti. Imó, (ut nobis relatum fuerit (nil domi habes niſi rerum inopiam, foris æs alienum. Hinc egeſtatem tuam ipſius æquitatem apertiùs narrâſſe aſſeruimus. Iſta forſitan molliant & minuant, nequaquam adimant.

Herac. O paupercule Judex, nonne tua pauperies te immunem reſtituet?

Democ. Tace ineptule; iſte inſipiens præ omnibus graviſſimas promeritus eſt pœnas, quando per tot annos, imò annorum ſeries nobiſcum floruit, primis ſubſelliis inceſſit, tot lucrandi occaſiones, utí pendulas eſcas, habuit, tamen inſtar Coci malè conditi, ne digitos paululùm elambere potuit. Hah, hah, hah.

Camb. Accuratâ ſatis indagine hanc *Lernæam canalem* exploravimus; nunc ad alias progrediendum eſt ſedes; nec rariores nos in eis ſpecubus inventuros eſſe colubres magnoperè vereor. Quo *Augæos* verò hoſce *Stabulos* melius purgatos relinquamus, & nullus vel impudentiæ vel ignorantiæ

detur locus; quantum ad *Glicisçum*, *Glirem* potius dicerem, instar *Ciphræ* locum tenentem, parum verò pectoris retinentem, minùs *Astræam* callentem; Horologus vester quia fuit, O *prætextati Iudices*, eum in Horologii custodem destinamus: parum habet pectoris, lenior eò in suppliciis.

Democ. Quam arrectâ *Midæ* auriculâ ista audit.

Cler. Dominationi vestræ complacuit, quod ad alias Ephori classes descendamus?

Prim. Quò minùs? una pœna implicat, quos unus amor in crimine ligat.

Cler. Heus Custos atræ virgæ, efferatur *Chrysomitris*.

Cust. Excessit, erupit, evasit.

Manil. Ubinam gentium?

Cust. In aliam evolavit regionem. Nidum reliquit, ni in eo caperetur priusquam excederet; Et ab eo tempore in quo hinc discessit, inter *Gallos* (ut aiunt) cantare cœpit.

Manil. —O quæ dementia cepit! O quàm vividè indigitat illa *Chrysomitrem* sententia! *Malum consilium consiliario pessimum.*

Cust. Relicto Consulari ordine, militiam exercere dicitur, & nuperrimè proditum est, se ex iniuriâ sibi illatâ fortissimi pugilis officium præstitisse: inimicum enim inermem reliquit, seque non minùs *fortem militem* quàm *facundum Rhetorem* narravit.

Camb. Quàm plurimas, easq; pereximias dotes illi contulit natura; quę si condimentum acceperant ab *humilitate* & *gratiâ*, clarissimum verè fecissent. Superbienti autem nullum onus honore periculosius. Tam facile mutant mores, ut se etiam propinquis & familiaribus ignotos faciunt. Isti tumores mundi tam insuetâ rabie eorum perstimularunt mentes, ut infelicissima suorum conditio sese suis & aliis invisos reddit. Optimè igitur magistratus magistratu acquiritur; nec ulli dignius impertiendus est, quàm ei à quo minimè vel tepidè requiritur. Optime hoc monuit, qui dixit, "Renuenti detur, annuenti denegetur. Diu autem iste *Chrysomitris* in exterâ regione niduletur, priusquam revocetur, satis domi talium Salutatorum habemus: talis ominis aves tenerè nimis lactavimus.

vimus. E noſtris exeant oris, & tardè redeant, ne Matrem â cujus uberibus pendebant, perimant. Quo autem in uno arctius contexamus omnia, & iſta à nobis removeantur omina; nemo ſe unquam magis ingratum *Chryſomitre* geſſit. Principi enim, cui nemo devinctior, ea imputavit quæ ipſe fecit. Quando fortis & conſtans animus mille citius perferret mortes, imò lepido aſpectu (inſtar *Heroici* illius *Spiritus* nuperrimè occumbentis) mortis inexorabilis minas retorqueret, quàm Principi de ſe tàm benè merenti vel leviſſimam maculam aſpergeret. Sed diſcedat ille cum eloquentiâ ſuâ; quo nullus unquam *Iudex* injuſtior, nullus *Cuſtos* iniquior nec inopior; nullus *Solicitarius* impurior nec importunior. Intereà nos ipſi, ne ſub eorum calculo recenſeamur, qui *Mercurium* in *linguâ* non *pectore* gerunt; non tam accuratè quàm candidè ac cordatè; non tam politè, quàm rectè & ritè de re omnibus propoſitâ diſſeramus.

Democ. O miſera felicitas! ſplendida ſervitus! famam, fortunam, vocem, vultum, nidum & nationem ictu oculi perdidit.

Herac. O niveæ honorum pilæ, minimo intempeſtivæ mentis æſtu reſolvendæ! Quinam autem ille qui tam turgido & elato more prodit?

Democ. Ipſe eſt, quo nemo in Republicâ meliorem adeptus eſt opinionem, priuſquam Magiſtratum obtinuit; adepto verò, nemo infeliciùs amiſit. Sic -- rebus mores ceſſere ſecundis. "Bonus Cauſidicus, Judex peſſimus.

Cler. Accerſi *Brunduſium* ad pergulam. Leva manum *Brunduſie.* Indictatus es nomine *Brunduſii*, quod tu in Termino Trinitatis, 1638. contra Reipub. pacem, Subditi libertatem, Conſcientiæ teſtimonium, Deum non habens ante oculos tuos, perfidè, perditè & nephariè ſententiam dediſti de *Navali pecuniâ* Domino Regi ſolvendâ, nullaque eò impellente neceſſitate, Principi debendâ; penes quem fuit de neceſſitate ſuâ ſolum judicare. Dic *Brunduſie* reus es an non hujus criminis de quo indictatus es?

Prim. Domine *Prolocutor*, parce pauliſper, iſte enim *Brunduſius* acriore more tractandus eſt. Hoc confidenter aſſeram, quod nemo à Republicâ pejus promeritus fuerit: cum ſe

justitiæ antistitem omnes reputarunt, se juratissimum illius inimicum ostenderit, in talem famæ nævum, conscientiæ labem aspergendo. Vidit, & apertis oculis cecidit: æquum novit, & iniquum egit; meritò igitur periit. Si enim, ut *Trivius* ille, Legum ignarus fuisset, in defensionem suam aliquid proferri poterit: contra expertissimam verò scientiæ suæ normam sententiam dare, ô piaculum!

Brund. Ingenuè fateor, nec minus ingenuum candorem vestrum obtestor, me leniore eo ac molliore susurro *Chrysomitris*, partim blandientis, partim comminantis, *Navalem*, novalem, imó meam tradidisse sententiam. Dixit enim *Chrysomitris* (quo nemo, ut optimè nostis, in artificium benevolentiæ colligendo, nec in persuadendo feliciorem artem unquam habuit) me tali sententiæ in gratiam Principis vel acquieturum, vel honorem meum amissurum; imó *Scriptum quietis* ad summam mei ignominiam perpessurum.

Prim. O deliria senilis avaritiæ! vestrumne fuit *Scripta quietis* quieti mentis præponere? an oportuit vos, quò propinquiores estis Sepulchris, eò terrestribus procliviores esse desideriis? pedem habere Sepulchro appropinquantem, & mentem habere mundo inhiantem? O si pensaretis quàm parum naturæ sufficeret; & de eo parvo, quàm minimum senectuti vestræ competeret: multó levior de terrestribus cura, multó altior de cœlestibus solicitudo vobis incumberet!

Vos enim qui in studio Legis tantoperè claruistis, maximis omnium pœnis afficiendi estis: Speculum habentes justitiæ tam purum, tam integrum, *Curvum* nimirum *Acilium*, virum ætate confectâ, sed mente vividâ, conscientiâ inviolatâ. Eumque habuistis in *Exemplum*; sed (*curva* licet vestra fuerint vestigia) *Curvum* sequi renuentes, justitiam rectam in obliquam convertistis. Nostis, apprimè nostis, & in eo gravius vobis impendet judicium, aureola ea *Periandri* monita memoratu dignissima; *Nihil pecuniarum gratia agendum. Judicio favor officit.* Perit enim omne judicium, cum res transit in affectum. Nimius amor & nimium odium, omne pervertunt judicium.

Nec *Ioachimus* ille nuperrimè defunctus, leviores emeritus

est

est pœnas, naturæ verò debitum solvendo, Parcæ se eis perpetuum fecerunt debitorem. Implicitus enim licet & nodosus in argumentis fuit, *Gregoriano* tamen nodo iste *Oedipus* eum ænigmate suo, si minùs obstiterant fata, sese implicuisset.

Democ. Seni impostorem agere, quid obscœnius? Hah, hah, hah.

Herac. Et hoc plerunque evenit, cum senes in terris posuerunt *Elysium.*

Prim. Secedamus paululum, Selecti fratres, quo maturiore adhibito consilio, sententiam in cujusq; noxam accommodatius reddamus. *Secedunt Arbitres Consistorii.*

Intrant Arietus & Priscilla, &c. Smyrnenses cives.

Herac. Quò ista mulierum turba confluunt?

Democ. Ex earum habitu facilè conjicias. Civiles sunt conjuges, delicatulæ anates, quæ huc properant, quò, fatalem hanc *Iudicum* censuram audiant.

Herac. Eheu! an teneræ earum aures ista sine lacrymis audire poterint?

Democ. Credis omnes *Heracliti* mollitie esse compositos? toto cœlo erras; Isti mulierculæ fortioris sunt spiritus. Oculis enim siccis, saltem fictè humidis, conjugibus suis perægrè navigantibus longum vale valent dicere; Imó sepulturæ traditos subtristi ore, hilari verò corde contueri, & priusquam funebres extinguentur faces, alienos in mentibus fovere ignes.

Herac. Miror verò quod magis hoc ipso die quam aliis huc convenerunt.

Democ. Ignoras causam? audi & acquiesce: alii erant dies disceptandi, isti verò judicium denunciandi; & nosti fœminas *executionem* magis quàm *Iudicium* semper amâsse.

Herac. Parum ab iis expectandum est in Judicibus.

Priscilla. Intrabo certè; si enim *Capreolus* ille *Adscus* in Curiâ sedeat, certè scio, quod mihi faciliorem aperiet *introitum*, ut egomet ei sæpissimè dedi facillimum.

Arietus. Pish, pish, mi Muscula, mi Melleola, mi Rosamella, quid tibi cum Curia?

Prisc.

Prisc. Et quid nobiscum Curia? Tace *Ariete*, tace *Cornelie*, actum est de amicitiâ, si mihi *Statio* non paretur in Curiâ.

Ariet. Medius fidius, nulla tibi cum *Aulico* fiat *Statio* in proprio loco.

Prisc. Fuit verò & fuerit mi *Penule*, si mihi displiceas.

Ariet. Absit, longè absit, mi *Lauricula*, quod talis generi meo aspergatur macula; talis fronti imprimatur nota.

Prisc. Quidni? An te primum eo initiatum ordine autumes?

Ariet, Nullimodò; libentèr tamen nollem gerere nocturnum meum pileum iuxta novum civicum morem cum patulis auriculis: nec cervicacorneis ramentis suffertum somniare.

Prisc. Parum te ista moveant; prævidenda citius sunt fata, quàm prævenienda. Si talia tibi destinentur insignia, ne reluctéris: contra stimulum enim calcitrare, insipientis est.

Ariet. O indomita iuvencæ libertas! Nonne ego sum *Arietariâ* stirpe editus; de totius civitatis antiquissimâ *Cornelianâ* familiâ ortus?

Prisc. Quid inde? nulla tam venerabilis familia, quæ tali fato minùs subdita. Quo tandem istæ prosunt nugæ?
— Heus, *Titille*, *Titille*.

Ariet. Quid tibi cum *Titillo*, pruriente eo Aulico?

Prisc. Ut facilior mihi aperiatur aditus.

Ariet. Perægrè tibi concedetur. In hisce publicis Comitiis nullus relinquetur locus fœminis.

Prisc. Quid ni fœminis? acsi nos minus *capaces* essemus! Invenient, imò probant, nos satis esse *capaces* Ascendam certè quò attentiùs audiam, apertiùs videam.

Ariet. Quid audias? quid videas? quô, mi *Cunicula*, te tua rapit cupiditas?

Prisc. Videre *Iudices* magnoperè cupio; dicunt enim (& fama an mendax sit scire vellem) eos in mentum ne plus habuisse barbæ, quam Simiam caudæ.

Ariet. Satis subtiles sine pilis apparebunt. Istud autem Tonsoris officium subeunt, quo in subselliis terribiles magis aspectus induant.

Prisc.

Prisc. Imberbes istos juvenes molli lanugine pubescentes suboleo; Imberbes & imbelles verò senes, quorum pili stimulantes sunt setæ, parum sapio. — quinam illi?

Ariet. Judices ipsi quos videre tantopere concupisti.

Prisc. Eheu! Quàm frigidi essent sponsi? perpetuum habent stiricidium in barbis.

Ariet. Tace, mi *Lepuscula*; quando huc veneris, & in gradus ascenderis, audi quid fiet de iis.

Pris. Tradantur suspendio, parum me uret; valdè suspicor eos vix esse masculini generis. Irritum sunt genus, perfidum pecus, inimici generationis; facilè pereant cum suis judiciis.

Ariet. Coerce linguam, mi *Anatula*, ni observeris.

Prisc. Obstructas habent aures, cœcutientes oculos, nec me audiant, nec videant. *Exeunt.*

Actus Tertius.

Abducto Siphario sericeo, intrant Arbitres Consulares, Consistorii præsidentes; Pœnales Iudices; Euchrisius *Clericus Curiæ*, Roderigo *Ianitor*, *&c.*

Cler. HEus *Roderigo*! proferantur Captivi.

Democ. Quàm universa febre languent corpora! Hah, hah, hah.

Mani. Astate Iudices, astate; deploratissimæ conditionis Iudices. Reos vos esse criminis cujus indictati estis non negâstis; nec in defensionem causæ vestræ tàm excordis & deperditæ, aliquid attentionis nostræ dignum proferre potuistis. Nostis sat nostis, quod Judex in nullo eorum sit judicandus, quod in alio judicare est paratus. In quo, inquam, quàm miserè errastis? Illius enim criminis Judices fuistis & Censores, cujus vos ipsi extitistis Authores. Judici mercedem capere, fuit capitale. Sin tanta & tam gravis denuncianda fuerit sententia unius ob noxam, eamq; ad unicum spectantem Subditum;

quale eis ſupplicium irrogandum eſt, qui totius florentis Inſulæ Subditis intulerunt injuriam; Principi Subditum, Subdito Principem ſuſpitioſum faciendo; novas contra conſcientiæ clariora teſtimonia, opiniones promulgando; Halcyoneos dies pacifici Regis, & morigeri Status inſolitis nymbis perturbando; imò omnia pro viribus veſtris in flammam & cinerem vertendo? Si tale incendium (ut Incendiarios vos verè geſſiſtis) non promereatur ſuſpendium, quid æquius emereatur planè neſcio. Lex primùm inſtituebatur ut ſit *ſalus publica*, à vobis verò fit Reſpub. peſtis teterrima.

Mida Scænam vos omnes apprimè egiſtis. Fidei Commiſſarii in gratiam Principis & Populi facti eſtis; quam nec minis, amicis, prece nec precio eſtis violaturi: illecti verò ſpe præmii, vel Panico pavore perculſi, juſtitiam nudam reliquiſtis, & conſcientias in vos teſtantes, miſerè neglexiſtis. Sic victi pretio, vel metu fracti, interiore cæcutientes lumine, *Mida* vos miniſtros verè probando.

Omnes. Miſeremini, miſeremini, Spectatiſſimi viri.

Democ. Euge! *Verſiculum*, quem toties iſti aliis indiderunt Judices, ipſi coacti ſunt nunc deprecari. *Miſereatur veſtrûm Deus.*

Manil. Eâdem menſurâ quâ aliis menſi eſtis, remetietur & vobis.

Herac. Eheu! Ne minima hiſce miſeris relicta eſt ſpecula, ſi compar eis penſetur menſura.

Manil. Arrigite aures & attendite; inter ſucciſivas horas vos ſæpiſſimè relegiſſe facilè credo, quomodo Germani, feliciore *Druſi* auſpicio, *victi* magis quàm *domiti*; eoque defuncto, viribus innixi ſuis, *Vari Quinctilii* libidinem ac ſuperbiam haud ſecus quàm ſævitiam odiſſe cœperunt: & quàm facilè victores evaſerunt! Quo brevi tranſacto certamine, ſeſe ut Barbarierant, efferos & crudeles victores geſſerunt. Nec in ea graſſante ſævitiâ ſe ulli conditioni magis implacabiles oſtenderunt, quam Conſularis dignitatis viris, quia eorum facundiâ, vænali, ut putarunt, linguâ deprompta, Romanos primum eos aggreſſuros, & lacrymabilis belli incõmodis ſubdituros cogitarunt. *Varus* perditas res eodem quo *Cannenſem*

Paulus,

Paulus,& fato eſt, & animo ſequutus;nihil illa cæde per paludes,perque ſylvas cruentius, nihil inſultatione Barbarorum intolerabilius, præcipuè verò in *Cauſarum patronos*: aliis oculos,aliis manus amputabant:unius os ſutum,reciſa prius linguâ, quam in manu tenens Barbarus,*Tandem*,inquit,*vipera ſibilare deſiſte*. Recoluiſſe etiam, vobis non incommodum erit,eum *Manium Acilium*, inexplebilem illam munerum voraginem, & inter Romanos præcipuum Legatum; quem *Mithridates* ſummo cum contemptu in Aſinum inſidere juſſit, donec uſque ad *Pergamum* veniſſet, ubi Elixum aurum in os ejus immitti præcepit; eò implicite Romanos cenſendo acceptioni munerum nimis deditos, linguis inimicitiis nimis facundas. *Alex. Severus* hoſtis aſſentatorum maximus,Aulicum ſuum *Turinum* demandavit in publico foro ſudi configendum, & fumo ſuffocandum, voce præconis acclamante,

Fumo pereat, qui fumum vendidit.

Præſtat enim(*Antiſthenis* verbis uti) ἰς κόρακας quàm ἰς κόλακας incidere; Coracibus prædam facere cadaverum, quàm Adulatoribus viventium. Inſigne igitur prudentiæ ſpecimen eſſet, vobiſcum agere, qui talem Reipub. intuliſtis peſtem, & ementitiis judiciis publicam imminuiſtis pacem; Sicut ille *Philippus* rex Macedonum,cum duobus Subditis ſuis, iiſque peſſimæ conditionis, aliquando egit. Alterum enim Macedoniâ fugere, alterum perſequi juſſit, quo facto,patria noxiis iſtis Paraſitis patriæ fuit liberata. Utrique datur exitus, nulli reditus.

Brund. Eſt viri boni dicere, cum perdidiſſe potuerit, peperciſſe, quàm cum parcere potuerit,perdidiſſe.

Manil. Malis qui parcit, bonis nocet. Attendite,quæ vobis denuncianda eſt ſententia. Sicut leges Aranearum telis feciſtis ſimillimas,& florentem hanc Rempub.nymbis & procellis diſtortæ veſtræ opinionis, uti naviculam agitâſtis; Nullus in hiſce finibus vobis admittitur locus. Pergite igitur,pergite (talis enim eſt veſtra definita ſententia) ad fortunatas eas Inſulas, *Arenas* appellatas, *Hibernico* tractu ſitas. Ibi enim, ſi venenati eſtis, diu reſpirare non poteritis: Sin verò mores, uti crines, propoſitum vobis fuerit mutare; in iis Inſu-

lis aerem habebitis æquissimè temperatum,& corporibus vestris tàm salubritèr dispositum, ut perægrè moriemini, ni tale vobis fastidium adferat mundus, aut vos mundo, ut multò minus gratum fuerit vivere, quàm mori. Imò tantum temporis ex temperie aeris vobis concessum fuerit, ut residuæ redimant horæ, quicquid anteactæ dissipârunt. Irrevocabilis data est sententia, nulla à vobis nectenda est mora. Paratur navigium, rudente, clave, antennâ, anchorâ destitutum, (vestri regiminis fatale judicium) hoc charactere dignoscendum.

CENSURA CONSULIS, CYMBA CHARONTIS.

Iudices. In senectute æquè ac hyeme navigare, grave est.

Prim. Nulla in Consortiis pœna gravis.

Democ. Citò abite, serò redite. *Exeunt Iudices.*

Tollite nunc fasces, satis ulta supina senectus.
Sedes alma Themis suscipe, Cymba senes.

ACTUS QUARTUS.

Intrat Chorus plebeius.

Cho.pleb. ELoquere Domine *Pinner*, pro totâ grege tuâ; tu enim Conventiculi Oraculum es nostri.

Democ. Hah, hah, hah. O grex egregia! egregiè asinaria! Ignavum pecus dicerem. — nunc *Lerna* reclusit fauces. Exite genimina viperarum perfida. Hah, hah, hah.

Chorus pleb. Eloquere, Domine *Pinner*, eloquere.

Pinner. Sciant omnes per præsentes, (Viri & fratres charissimi) quod tria à nobis veritatis assertatoribus, cæcitati temporum compatientibus, zelo animarum ardentibus, & reformationi Religionis anhelantibus, præcipuè requiruntur.

Democ. Quam placidè nobis arridet phanaticus iste Religionis relegator? Hah, hah, hah.

Pinne. Primò, ut nullus sit in Ecclesia ordo; Secundò, ut omnes ritus, ceremoniæ, vestes sacerdotales, Musica instrumenta

menta aboleantur in Eccleſiâ. Tertiò, ut nulla ſit communis orationis formula.

Herac. O quàm miſerè delirantes iſti Eccleſiam facerent acephalam!

Democ. Tace & audi, Apage! quàm *arrectis auribus* iſta *rotunda capita Pinnerum* oratorem ſuum audiunt, audiendo ſtupent?

Pin. Sin verò prudentiæ veſtræ æquius videbitur, quod Eccleſia ſuſciperet gradus *Maioris* & *Minoris*; Hoſce præpoſitos volumus eſſe *Laicos Seniores*; ad quam quidem dignitatem ſortiendam, nullos æquiores, nec ex omni parte paratiores judicamus, quàm venerabiles fratres noſtros, Dom *Calcearium*, *Sportarium*, *Fibularium*; (cui licet *Viridarius* Demi-caſtoreus ille, nuperrimè competitorem oppoſuit, in efficaciâ ſermonis facilè vicit, victorq; evaſit) Homines reverà mediocritèr doctos, ſed mirabiliter inſpiratos. Ante omnia autem volumus, quod præcipiatis *Franciſco de Sacra quercu*, Apocryphum illud *Epiſcopi* vocabulum dehinc cum aſteriſco diſtinguere, & inter verba obſoleta, in perpetuam rei memoriam, ponere. Quantum verò ad primum articulum querimoniæ noſtræ attinet, ſicut nullum planè *ordinem* in Eccleſiâ eſſe volumus, ita omnes (ut ſecundum petamus articulum) *ritus* & *ceremonias* perhorruimus; quia quicquid antiquum, minùs verum credimus. Veſtes Sacerdotales æquè in Preſbyterio, ut Sindonias manicas in Epiſcopo improbavimus; pallium illud ſacrum & ſuperpelliceum, ut Babylonicæ pellicis ſupparum, ſubuculam muliebrem Ægyptiacis laciniis, lenociniis imò decoratum, delibutum dicerem. Scortantes iſti Sacerdotes qui in linteis hiſce veſtimentis nobis prodeunt, utì ſpectra è Cœmeteriis prodeuntia apparent. Quantum verò ſpectat ad Muſica inſtrumenta, ut *Babylonica tympana* ſemper æſtimavimus; imò ne *propria* verè diligere poſſumus *membra*, quia appellantur *Organa*.

Democ. Iſti certè ad Piſtrinum potius quàm ad Religionem reformandam cenſendi ſunt.

Pin. Quoad tertium querimoniæ articulum, nullam volumus *communis orationis* formulam, ne Dominicam orationẽ; *Spiritus diffidentiam* apertè innuit. Nec *orantes* igitur neque

prædicantes paratos volumus habere Pastores, ex tempore verò loquentes, quò magis in se probent *efficaciam Spiritus. Turneri* Symbolum, & glossam ejus de *Communione Sanctorum* valdè approbamus. Et ut in uno complectamur omnia; quæ nova, modò nostra approbamus; quæ antiqua, licet mille consiliis approbata, rejicimus.

Perd. Audite dementes, tritum sed facetum Rhythmum quem in Britannicâ Insulâ semel audivimus. In eo Idiomate vobis reddetur, in quo accepimus.

Tack tent to my saw my Sonnes three
Rob. Will. and Dave.
Keep wele your Pater and your Ave,
And if you mind your Fathers reed,
Stand close to your auld Creve.
But for my daughter Gillion,
I wad she were wole bolted with a bridle
That leavs her warke to play the Clarke
And lets her whele stand idle.
For it saws not for She-ministers,
Farriers nor furriers,
To descant on the Bible.

Chorus consul. Mittamus nugas! querimonias vestras, Viri & Fratres, multo majore attentione, quàm demeritæ sunt audivimuus. Quantum ad *Episcopos* refert, nudum & exanguem titulum perægrè reliquimus; justius autem censuimus rescindi *vitia* quam *officia*. Desistite tandem à deliriis vestris; quicquid commodè fiat, & Ecclesiæ paci competat, ei maximè providendum est. Sin minùs *trabes*, saltim *festucæ* læsis oculis sunt removendæ. Non habent in se charitatem, qui non diligunt Ecclesiæ unitatem.

Ite domum, vos vestris intendite, nostrum sit communi inservire bono; Principi, Populo, Patriæ. *Exeunt.*

Epilogus.

STatutum est ab *Ædilibus, publicis ludis præpositis, quod proximo die (permittente Iove) Quintus Actus super* Tiburem, Tiburnum *dicerem, à novâ societate* Abellorum *publicè agetur,*

Vive le Roi.